



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

967. Ex qua causa fieri possit suppressio beneficiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

tuli, & in non extintivam tituli. Extintiva tituli contingit, dum v. g. extinguitur Parochialis ad effectum erigendi eam in Collegiatam; tollitur enim tunc de rerum natura titulus ipse collativus, denominatio, essentia, & natura Ecclesie Parochialis collativa. Non extintiva tituli contingit, dum beneficium ita unitur alteri, ut soluta iterum ea unione intelligatur solummodo remotum impedimentum prius injectum (intellige ab ista unione, quod minus de per se confertur, aut ad illud presentari quis possit) non verò beneficium deduci de non esse ad esse, seu de novo creari; quia tunc in illo titulo conservatur materia & forma ipsius essentiae beneficii, licet impediatur collatio. Lott. *l. c. n. 85. & 86.* & ex eo Corrad. *loc. cit. n. 74.* secus ac contingit in dissolutione unionis accessoriae subiectivae. Verum, ut patet ex descriptione suppressionis à nobis data, hac non extintiva tituli suppressio minus proprie dici potest.

Quaestio 967. Ex qua causa fieri posse suppressio beneficiorum?

Respondeo primo in genere: Cum suppressio evidenter tendat in diminutionem divini cultus, atque adeo difficilius permittatur juxta *c. cum accessissent de Constitut. requirit causam praesens necessitatem.* Lott. *l. c. n. 28. n. 79.* Intervenire debere aut necessitatem, aut evidentem Ecclesiae utilitatem; & horum unum sufficere, ut dum Parochialis supprimitur, ut erigatur in Collegiatam ob augmentum cultus divini, ait Corrad. *l. 2. c. 15. n. 13. & 14.* Unde etiam patet, diminutionem reddituum non esse unicam & solam causam, ut ait Castrop. *loc. cit. suppressiois;* eum etiam remanentibus fructibus imminutis dentur & alia suppressionis, etiam ab Episcopo faciendae, causae vergentes in augmentum magnum cultus divini, & Ecclesiarum utilitatem, ut patebit ex mox dicendis. Corrad. *loc. cit. n. 11. & 12.*

2. Respondeo secundo in specie: Praecipua causa supprimenti beneficia est reddituum diminutio. Corrad. *loc. cit. n. 34.* Lott. *cit. q. 28. n. 80. Cate. p. 12. c. 1. n. 2.* cum communi juxta textum *c. ut. de verbor. signif. & Gl. & DD. ibidem.* Hac autem diminutio, prout ipsum nomen sonat, accipienda non est simpliciter pro tenuitate reddituum, sed habito respectu quantitatis assignatae ab initio fundationis; si enim beneficiati praedecessores durante tempore contenti fuerint ea portione & quantitate, non est faciendae suppressio, seu minuendus numerus beneficiorum ex hoc prae-textu insufficientiae reddituum. Lott. *cit. q. 28. n. 85.* sic respondit dicens à Rota apud Seraph. *decis. 1385. n. 3.* ac proinde, dum pro causa suppressionis assignatur tenuitas praebendarum à Ventrigl. *To. 2. annot. 8. §. 1. n. 18.* & aliis passim, ea accipienda erit, quae ex post, numerum diminutis post primam fundatione redditibus, vel etiam quae mutatis temporum circumstantiis contingit, dum v. g. quae olim tempore fundationis longe leviore pretio comparabantur vitae congrue sustentandae subsidia, modo vix duplicato pretio acquirantur, & sic redditus, qui olim sufficiebant, modo omnino sint insufficientes pro congrua beneficiati sustentatione. Sed neque simplex attendenda reddituum diminutio, sed talis, ut persona idonea non possit ex fructibus illis vivere, & onera beneficii ferre. Lott. *loc. cit. n. 83.* citans Felin. *in c. cum accessissent. n. 29. in fine.* uti nec Praebendarum quaecunque tenuitas sufficit, nisi ex una cum distributionibus adeo sint tenues, ut Canonici

inspecti loci ac personarum qualitate, inde decenter juxta gradum suum vivere nequeant. Ventrigl. *loc. cit.* Neque sufficere ista diminutio aut tenuitas pro causa, ubi ea forte fuerit temporaria, propter sterilitatem aliquam extraordinariam, aliòve casus fortuitos. Lott. *l. c. n. 81.* Porro tenuitatem hanc Canoniarum tunc esse sufficientem causam eisdem supprimenti, quando eidem non potest provideri per unionem beneficiorum aliorum simplicium, ait Ventrigl. *l. c. n. 20.* ubi, quod non nisi in subsidium, & in casum, quo simplicia beneficia alia Praebendis uniri non possunt, concedatur hac facultas supprimenti Canoniarum Episcopo. Idem tradit Castrop. *cit. §. 9. n. 2.* juxta dispositionem Trid. *sess. 14. c. 15.*

3. Secunda causa suppressionis, seu diminuendi numerum beneficiorum in aliqua Ecclesia est, dum in eo numero excellunt contra fundatorum determinationem. Lott. *l. c. n. 93.* dicens, hanc causam videri agnovisse Justinian. *in Authentica, ut determinatus sit numerus Clericorum.* Huc spectat (quam pro tertia causa assignat Lott. *n. 94.*) dum numerus in nimiam esset effectus multitudinem.

4. Tertiam causam assignat Corrad. *cit. c. 8. n. 15.* ex Gratian. *discip. for. c. 817. n. 7.* nimirum decorem & honorem Ecclesiae Cathedralis; dum validam fuisse habitam, ait suppressionem duorum Canoniarum ad istum finem, ut in Ecclesia Cathedrali, ubi pauci erant Canonici, & ideo necesse erat non sine dedecore adimplere omnia minima spectantia ad Clericos, & alios in minoribus constitutos, praeter dictos Canonicos constituerentur aliqui Clerici Divinis ibi inservientes.

5. Quartam quoque causam adjicit Corrad. ex eodem Gratian. *l. c. n. 10.* sustentationem fabricae; quod idem tradit Azor p. 2. *l. 6. c. 30. q. 15. in fine* his verbis: *Potest etiam ita supprimitur Episcopus, ut ejus redditus perpetuo impendantur in usum fabricae Ecclesiae ipsius.* Quin & pro causa assignat ex eodem Gratian. & aliam Ecclesiae utilitatem, vel etiam alium pium usum. Quod tamen postremum non videtur tam facile admitrendum, nisi utilitas illa Ecclesiae, piusque alius usus necessitatem simul quandam importaret, sicut supra dictum de causa unionis.

6. Denique causa sufficiens supprimenti beneficium est unio, seu ut illud uniatur aliis beneficiis, piusve locis, adeoque causa quae sufficit ad faciendam unionem, sufficit etiam ad faciendam suppressionem; unio enim, ut ait Lott. *l. c. n. 95.* est filia suppressionis, quae fit pro minuendo numero, sicut divisionis, quae fit pro augendo numero, filia est erectio novi cujusdam tituli.

Quaestio 968. An, & qualiter causa suppressionis probanda?

Respondeo primo in genere: Debet causa facta suppressionis legitime & plene probari. Corrad. *cit. c. 8. n. 33. & 54.* ubi: *pro sustentanda suppressione requiritur causa formiter probanda, neque creditur Episcopo illam asserenti juxta vigentem regulam ex doctrina Bartol. in l. si sorie. ff. de Castrens. pecul. & Decian. in c. quae in Ecclesiam, de Constitut. n. 130. quod in iis, quae sine causa fieri nequeunt, non creditur gerenti actum circa interventum causa.* Corrad. *cit. c. 8. n. 22. 23. & 24. & n. 54.* ubi id ipsum limitans ait: *non creditur Ordinario, nisi quando agitur de suppressione antea facta, & in visitatione enuntiata, ut Calderin. decis. 439. a n. 4. vel quando est enunciata causa in specie, & non in genere.* V. de hoc dicta supra de justificanda causa unionis, quae eadem hic locum habent. Illud